



Ayuntamiento de Madrid

Psal.
44.

Graduale. Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis. **Y.** Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. **A**llelúia, allelúia. **Y.** Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. Allelúia.

Psal.
92.

Sequentia sancti Euangelii secundum Matthæum.

Matt
2. b

In illo tempore: Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël; defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Israël. Audiens autem quod Archelæus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secéssit in partes Galilææ. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

Psal.
92.

Offertorium. Deus firmavit orbem terræ, qui non commovebitur: parata sedes tua Deus ex tunc, à sæculo tu es.

Secreta.

Concède quæsumus omnipotens Deus: ut oculis tuæ majestatis munus oblatum, & gratiam nobis piæ devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

De S. Telefphoro. Secreta.

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica: & intercedente beato Telefphoro martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende.

De S. Maria. Secreta.

Muneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis: & coelestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Præfatio de Nativitate.

Communio. Tolle puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

Matt
2. d

Postcommunio.

Per hujus Domine operationem mysterii, & vitia nostra purgentur, & justa desideria compleantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

De S. Telefphoro Papa & Martyre. Postcommunio.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: ut cujus exequimur cultum, intercedente beato Telefphoro martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum.

De S. Maria. Postcommunio.

Hæc nos communio, Domine, purget à crimine: & intercedente beata virgine Dei genitrice Maria, coelestis remedii faciat esse consortes. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.